

Nicolaus Schütze

**Ad Natalitia Veri Messiae Domini Nostri Jesu Christi pie devoteque celebranda,
Rector Universitatis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Profess. Cives Academicos serio
invitat & hortatur**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733981143>

Druck Freier  Zugang





~~M. 1256.~~

J. 512

—

1651. Weihn.

Ad
NATALITIA
VERI MESSIÆ
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

piè devoteque celebranda,

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

NICOLAUS Schütze/J.V.D.

& Profess.

*Cives Academicos seriò invitât
& hortatur.*



ROSTOCHÆ,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LI.

127

1657. Weiden



Rat aliquando tempus illud, quo humana natura in æterni squaloris sordibus, turpis, lacera, deformata, cruentis ipsis Dæmonum pedibus protrita atque conculcata miserè jacebat. Ut autem Dei præpotentis imago, ab ipsis mundi cunabulis, primis indita parentibus, sed terræ postea fuliginis infuscata maculis, pristino nitore redderetur, clementissimus in cælo pater hanc in viam ab ipsis Angelorum mentibus, & cogitatione seclusam, ut humani corporis vestitus compage, propitius nimirum & salutaris fulgor ad salutem hominum procurandam terris illabatur. Æternus igitur æterni Dei filius, æternus ipse, luteo hoc nostræ mortalitatis ergastulo circumclusum, terris seipsum exhibet, utq; à summo bono semper fugientem hominem semel assequeretur, ipse præ amore ineffabili

Servile corpus induit

Ut carne carnem liberans

Ne perderet, quod condidit.

Ad hominem descendit, ut cum homine conjunctus DEUM pariter cum homine conjungeret, & nos Patri suo manu liberali potenter assequeretur. Erat primus homo conditus particeps imaginis Dei, quam amisit: CHRISTUS particeps

iceps factus est carnis humanæ, ut amissam imaginem rursus acquireret, & hominem divinæ naturæ ipse insereret. Unde graviter & piè CHRISTUM alloquitur Damascenus, cujus versuum hæc est sententia:

O CHRISTE nobis tu redemptio & salus

Apparuisti rex potens è virgine

Olim ut Prophetam faucibus Jonam fera

Rapis marina: sic nece eriperes quoque

Adam patrem lapsu protervo perditum.

O amorem incredibilem, ô misericordiam innarrabilem! Qui sine corpore erat, corpus induit: qui sine tempore erat, esse incipit: ad quem adscendere non poteramus, ipse ad nos descendit; ad mortuos vita, ad damnatos salus. Filius Dei filius fit hominis, ita ut nec Deitati aliquid decedat, quam conservat, nec humanitati quicquam desit, quam assumit. *Homo quippe ad Deum accessit, ut S. Augustinus ingeniosissimè scribit, DEUS à se non recessit, nec hominem consumpsit, sed ita assumpsit, ut nec inferiorem naturam consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.* In Deo homo erat, & Deus in homine, ut ex utroq; esset mediator, & utrumq; reconciliaret. O mysteriorum majestatem! ô profunditatem rei! quam nec purissimi Angelorum, cætus sine reverentia, nec infernæ potestates sine horrore recordari possunt. Nos memoriam in-

effabilis mysterii stupore, pio prosequimur potius humiliter, quàm anxiam subtilitate curiosè indagemus. Agite igitur, Cives Academici, vanas omnes cogitationes penitus è corde nostro sequestremus, & Servatoris nostri cellulam lustremus, dulcissimoq; hoc spectaculo animum oblectemus. Ecce verò qui excelsior cœlo, quantillus tuâ causâ est factus. Non est inventus in diversorio ullus angulus, qui cœli depositum exciperet. In propria venit, neq; sui receperunt eum. Qui in sinu Patris & in throno gloriæ sedebat, in vili tugurio deponitur; quod tamen crebræ de cœlo faces magnâ dignitate circumvestiunt. Ita *hic sanctior locus est* (sunt verba Hieronymi) *rupe Tarpeja, qua de cœlo sæpius fulminata ostendit, quod Deo displiceat.* Si offendit te diversorium humile & sordidum, lustra cœlum, de quo legati cœlestes genethliacum nascenti, **GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS** concinunt. Voces Angelorum de cœlo resonant, quia nemo in terris mysterii magnitudinem intelligebat. Qui omni omnium sublimitate major, nascitur in stabulo, ut ad cœlestis aulae Capitolium nos deducat.

Vagit infans in ser arca conditus praesepia:

At vagitus in aliis hominibus miseriæ exordium est

est, in puero CHRISTO initium solatii & Orbis
quasi juvenescentis prælagium; quia ejus ortu
in novam dignitatem restitutus est, non aliter,
ac post hiemis sterilitatem ver novum efflorescit

Nam tunc renatus sordidum

Mundus veterum depulic.

Gestatur ut parvulus: sed adoratur ut DEUS:
parvulus in præsepi, immensus in cœlo: vilis in
pannis, gloriosus in astris. Qui vanitate pascere
oculos concupiscunt, ab hoc tugurio discedant,
Non hîc aurata tricliniorum laquearia, labora-
tas omni arte picturâq; columnas, peristroma-
ta, & sonantes auro toros, aut quicquid denique
superba Regum magnificentia stupentibus po-
pulorum oculis proponit, invenient. Nascitur
à virgine, quæ nullius sibi conscia libidinis, casta
corpore, casta animo, videt se Dei filium & suum
mater, Dominum ancilla, sed paupercula ac
contempta peperisse, Fit Dei mater, & se famu-
lam humillimam reputat. ô felix humilitas! ô
fortunata virginitas! *Humilitate placuit*, inquit
Bernardus, *virginitate concepit & peperit*, quem
electus ille è Nobilitate cœlesti legatus, cum su-
premæ Majestatis mandato, gestientibus Civium
supernorum Ordinibus, olim prædixerat. Itē
nunc Ixiones superbi, in montibus vanitatum
humanarum extruite. Excelsus Dominus hu-

milia respicit, & alta à longè cognoscit. Inscribe nubibus capita, & sublimi ferite sidera vertice; superbis DEUS resistit, humilibus autem dat gratiam. Venite, accedite, virgines pudicæ, respicite puellam, quæ non lasciviusculè atque superbè ornata armillis aut monilibus fulget, non cirris & caliendris sese ostentat: non in vestibus conchyliatis aut crocotulis triumphat, non ineptias alias jactitat. Omnia modestiam insignem, & admirabilem spirant ubique pietatem: omnia humilitatem incredibiliem significant: Discedite ab hoc spectaculo impudicæ omnes, opus est animi puritate; hinc castissima est puerpeta: hic è castitate natus est fetus, cujus fructus ipse DEUS est. Virgo fit mater, nec virginitatis candorem amittit, nec pudoris jacturam facit. Honor iste nulli matri unquam contigit, ut esset virgo & puerpera, ut DEUM & hominem gestaret, ut partum sine societate viri, sine iniquatione peccati ederet. Verè summus honor, qui nulli antea mortalium collatus, ab ipsis Angelis collaudatus est. Abeste hinc impii, qui vestram Eurydicen, id est, carnem vestram & corporis voluptatem respicitis, & interim verissimam illam atque immortalem, quam ex virtute scimus emanare animi voluptatem dimittitis, Heic gratiæ abyssus, heic Collegium

legium Sanctitatis, omnis virtutis compendium,
ipsa Sanctitas. Heic profanum nihil, procul este
profani. Glorietur Olympias, quod Alexandrum
nomine reque magnum & Orbis domitorem in
lucem produxerit: quanta verò puerperæ hujus
laus & gloria est, quod ex uteri cavea auctorem
suum & naturæ, qui ante secula fuerat, sine
marito virgo, sine semine mater, obstetrix sine
experientia, ediderit. D. Bernhardus tria o-
pera & mirabiliter singularia & singulariter mi-
rabilia dicit esse, qualia nec facta sint antea, nec
facienda amplius super terram, nempe quod
invicem sint conjuncta, D E U S & homo, ma-
ter & virgo, fides & cor humanum. Magistri
pecudum, simplicissimi mortalium, nulliusq;
Sapientiæ consulti, primi ab Angelis tanti gau-
dii materiam audiunt, quia nemo ejus parti-
ceps fieri potest, qui non in oculis suis sibi cum
maximè displiceat. Cœlestis militiæ chorus glo-
riam in cœlo, quam primus parens turpi trans-
gressione rapere voluerat; & in terra pacem an-
nunciant, cum antea homines D E O inimici
essent.


Agite, CIVES ACADEMICI, subsequamur
& nos voce nostrâ præcinentes Angelos, nihilq;
agamus, cogitemus, meditemur, quo non gra-
tiam

tiam pro ineffabili beneficio agamus. Si Epicuri familiares vicesimum cujusq; mensis diem præceptoris suo consecrare soliti, quod hoc ipso natu videretur, quid nos Natalitiis Servatoris nostri OPT. MAX. debere existimatis. Ejus enim nativitas nostra est salus: illius paupertas, nostra hæreditas: illius infirmitas, nostrum remedium: illius abjectio, nostrum regnum: illius denique humilitas, nostra exaltatio & felicitas. SURSUM CORDA! Magi, nisi sustulissent oculos in altum, non vidissent stellam: nos nisi cordis oculos erigamus in cœlum, nos inveniemus CHRISTUM. Duc ô Domine DEUS, pater cœlestis, sicut Magos olim duxisti stellâ, nos verbi tui luce, ut in splendore filii tui sanctè semper vivamus. Effice tandem nos dignos, qui ex hac miseriarum valle ad cœlestia tabernacula aliquando transferamur, atq; in æternum tecum vivamus. FIAT! FIAT! FIAT! Rostochi, sub sigillo Rectoratus, ipso die, qui Natalitiis Salvatoris nostri sacer est, anno
c1o l1c LI.



legium Sanctitatis, omnis virtutis
 ipsa Sanctitas. Heic profanum n
 profani. Glorietur Olympias, qu
 nomine reque magnum & Orbis
 lucem produxerit: quanta verò
 laus & gloria est, quod ex uteri
 suum & naturæ, qui ante secu
 marito virgo, sine semine mater
 experientia, ediderit. D. Bern
 pera & mirabiliter singularia &
 rabilia dicit esse, qualia nec facta
 facienda amplius super terram
 invicem sint conjuncta, DEUS
 ter & virgo, fides & cor huma
 pecudum, simplicissimi mortal
 Sapientiaæ consulti, primi ab Ar
 dii materiam audiunt, quia ne
 ceps fieri potest, qui non in ocul
 maximè displiceat. Cœlestis mil
 riam in cœlo, quam primus par
 gressione rapere voluerat; & in
 nunciant, cùm antea homines
 essent.

Agite, CIVES ACADEMICI
 & nos voce nostrâ præcinentes A
 agamus, cogitemus, meditemur



ium,
 leste
 drum
 em in
 ujus
 prem
 sine
 sine
 ia o
 er mi
 , nec
 quod
 , ma
 gistri
 usq;
 gau
 parti
 cum
 glo
 rans
 n an
 imici
 amur
 hilq;
 gra
 tiana